

rationem putantes ipsi quidem maxime omnium Aristotelem pervertunt et crimen hoc suum in alios minus nocentes reicere non erubescunt. Sed falluntur credentes vituperatione aliorum sordes suas abluere. B 53 Hanc igitur regulam in traducendo tenendam studiosis putamus, ut 5 graviora difficilioraque ad verbum de verbo paene reddant, historica G 47<sup>v</sup> et facilia latius angustiusve, sicuti iudicabunt, complectantur.

Nunc ad rem revertentes primum interpretatoris prisci, deinde Cagis eiusdem loci verba repetemus, postremo nostra ponemus, ut vel ex istius minimi collatione loci, quanta sint doctrina, quanto ingenio, 10 quanto usu dicendi Cagulei, perspiciatur. Prisca interpretatio huius loci haec est: »Propter quid et quibusdam ventosorum piscium plyntri foetet mulier?« Cagulea haec: »Unde et piscium spirabilium quorundam virus genitale plantrum redolet?« Nostra haec: »Ideo in nonnullis spiritum natis reddere piscinae, ubi lavatur, olet mulier?« Primum igitur 15 piscium pro piscina ignoranter positum ab eo est; deinde spirabilium omnino insulse; tertio virus genitale pro semine animalis inaudite; quarto virus genitale pro muliere scripsisse videtur — mulieris enim vocabulum omnino neglexit —; quinto plantrum nec integrum graecum est nec ullo modo latinum nec barbarum, sed Caguleum; sexto redolere 20 pro foetere magnus iste latinae linguae auctor ponit. Plura certe intolerabilia vitia quam verba sunt.

Nunc totum huius loci sensum explanabimus, si prius graeci verbi 10 potestatem exposuerimus. Plyntrum aut locus et vas ubi aut instru- B 53<sup>v</sup> mentum, quo lavatur, latine dici potest. Ideo piscinae — nam etiam 25 pro loco, ubi lavatur, hoc nomine usurpamus — a veteribus quoque traductum crediderim. Paratior enim semper sum ad excusandum viros probos, quam ad incusandum. Sensus autem hic est calida robustaque G 48 corpora spermate diutius retento, si ad spirandum, exhalandum evap- porandumque amplitudine pororum atque meatuum apta nataque sunt, 30 graviter olent. Spermatica enim superfluitas et quaecumque alia simul cum ea egreditur. In imbecillis quidem corporibus in alimentum vertitur. In robustioribus autem corrupta propter calorem expellentem meatuumque amplitudinem exhalat in spiritum versa, et sic virorum quidem corpora, hircorum praecipue atque ovilium reddunt olitum, 35 sicut ex . . . colligitur. Mulierum vero, ut hic dicitur, piscinae stagnantis, ubi res sordidae lavantur ac depurantur, foetorem emittunt. Cages autem nec, quia de hominibus problema est, nec, quia mulieris vocabulum hoc in loco ponitur, potuit propter ingenii hebetudinem detineri, quin rem totam ad pisces transferret. Talis enim ab ineptissimis 40 verbis eius sensus erumpit. Unde et genitale virus, id est semen nonnullorum piscium, quibus sicut aëre spiramus, plantri suavem reddit B 54

11 plyntri scripsi plynter G B | 28 exhalandum G exalandum B | 33 exhalat G exalat B | 35 G B aliqua desunt

odorem? O hominem verberibus, non verbis castigandum! O temeritatem inauditam! O insaniam incredibilem! O furorem praecipitem! Quo ruit sicut omnino amens atque fanaticus?

34, 1 Haecine placent? Tu, quem honoris causa non nomino, quare ne irasci quidem mihi poteris, nisi te ipsum prodere volueris? Haecine 5 placent interpretamenta? Haec tu in caelis extollis. Cur? An odio Georgii? Aperte namque praedicas non diligi abs te Cagem, quia bono- G 48<sup>v</sup> rum morum atque virtutis hostis est. Hoc ipse centies abs te audivi. Addis deinde, idque mihi ipsi saepe dixisti, nescire me latinas litteras, si ad Cagem conferar. Omniaque a me traducta in tenebras esse cito 10 ventura splendore Caguleorum offuscata. At haec non sunt verba odii, immo autem animi, qui tot calamitatibus, quae mihi te auctore invectae sunt, saturatus adhuc non sit. Praetereo, an ipse latinas litteras nesciam. Relinquo, an tu optime scias. Non sum in eo occupatus, ut vel plures quam triginta continuos publice annos cum gloria legisse 15 me in Italia in praeclarissimis urbibus iactem vel tot volumina mihi latine scripta et a Latinis approbata recenseam. Quae si tibi non placent, nec miror nec curo. Nam et mores et ingenia hominum optime novi. Quae quanto mihi probentur, inde patet, quod et Graeciam nulla re B 54<sup>v</sup> coactus reliqui, et Italiam colo nullis Itolorum allectus praemiis, et 20 quos genui, quantum in me fuit, nec litteris nec lingua Graecorum participes feci.

2 Illud mihi curam non parvam iniecit, quod videam tanto te adversus me odio flagrare, ut coram idque saepius non Cagem solum, sed etiam alios ipsosque pueros tuos in latinitate mihi praeposueris. 25 Quod statim a primis dignitatis tuae annis factitasti. Omniumque incommodorum, immo potius calamitatum mearum te auctorem fuisse tum verbis, tum tuis litteris ad me datis cognovi. Ipsum quoque sanguinem meum quaesivisse te mortemque meam optasse eadem tuae G 49 litterae Neapolim ad me missae satis aperte significant. Quid commisi 30 aut commerui, pater optime? Magni omnino odii argumentum est alicui etiam ignoranti aperte coram dicere inimicos eius atque invidos doctiores ipso esse. Tu centies id fecisti. Quid, quod pueros seni anteponis in doctrina tuos? Nolo nominare singulos, ne se ignominiae causa nominari a me credant, praesertim cum nonnulli eorum non 35 alieni a me animi sint. Deus scit, et conscientia tua testis est, et ego non ignoro. Illud mirum est, quod posteaquam Neapoli redii, ea verba mihi saepius iteras, saepius repetis, aliis quoque praedicas. Dic oro, quidvis faciam. Ferre amplius non possum. Tacere perniciosum mihi esse re ipsa periculum feci. Duodecim ferme annis taciturnitate mea 40 B 55 et patientia te sustinui. Ad eas calamitates abs te deductus sum, ut

vix maiores fingi posse videantur. Non loquor ut timidus. Nam ne mortem quidem ipsam recuso, dum videam mortem non culpa mea, sed alterius scelere mihi accidisse. Id dico, quoniam tu in litteris ad me tuis, tua manu scriptis, multo me maiora promeruisse ostendis, 5 quam passus sum a pontifice Nicolao. Ille autem ea in me fecit, ut quid maius sit, ego non videam, praeter mortem.

Nec diu est, quando praesente quodam utriusque amico mihi<sup>3</sup> dixisti culpa mihi omnia evenisse mea. Ego culpam habui quam? Recusavi transferendi laborem, nolo dicere dedignatus, tum quia G 49<sup>v</sup> 10 commentaria in Ptolemaeum mea mihi erepta et in scelestum hominem Iacobum Cremonensem, nisi id fecissem, cum meo dedecore translata fuissent, ut scedulae manu eius scriptae ac in marginibus codicis affixae ostendunt. Sed recusavi, quia non poteram tanta diutius onera sustinere. Hinc omnia protinus ficta, ordinata, statuta in me sunt. Quid 15 commisi? Quinque continuis annis ne respirare quidem licuit, cum nondum absolutis prioribus alia imponerentur. Tam magnos labores ferre diutius non poteram. Quiescere optabam. Peccatum in recusatione laboris est? An omnibus militiam quoque exercentibus demerito stipendio absque ullo crimine licebit etiam cum gratia alios relinquere, B 55<sup>v</sup> 20 aliorum stipendia contra primos suscipere, mihi soli non licebit quiescere, si volo?

Adiecisti deinde, quod demerita mea maioribus calamitatibus digna<sup>4</sup> fuerunt. Haec verba vehementer te cupere mortem meam ostendunt. Maiores enim calamitates quam mortem ego non video. Sed nec tempus 25 est simulandi amplius, nec ipse ferre possum. Duodecim paene annis te sustinui, et tu forsitan me simulando dissimulandoque omnia. Sed certe per diem futuri iuro iudicii: non sum mihi conscius aliquid unquam adversus te fecisse aut dixisse aut saltem cogitasse. Sed commisi fortassis ignorans, ac ideo tu mortem expetis meam. Vide, quanti mortem G 50 30 existimem. Non quaero longas ambages. Tu vis, moriar. Ego emori cupio. Tu maiora me supplicia meritum asseris culpamque solus, solus inquam, omnium culpam in me retrudis, quam ego ipsa morte magis semper formidavi. Mortem enim non timeo, culpam summopere perhorresco. Quare nisi vere ostendas morte me dignum esse, culpae 35 nomen non in me, sed in te scias redundare. Nam ne quis abs te profectum quicquam suspicetur, in me reiicis.

Magna haec tua profecto res est. Culpa dicis mea cuncta mihi<sup>5</sup> accidisse, et maioribus fuisse dignum suppliciis scribis, nec ullam profers culpam. Nullam enim unquam nominasti. Diligere fugis et 40 maioribus poenis dignum praedicas, et quidem coram et saepius, ut B 56 magis vulneres. Aut culpa me vacare dicito aut, si crimine ullo me

obnoxium opineris, dic, accusa, doce, obiice quicquam saltem parvum, saltem ullius momenti. Inoboedientem me fuisse scribis. Et in quo? Ne muttire quidem audes. Dicas, in quo. Expone crimina, causas adde, et nisi omnia diluero, immo nisi cuncta sua sponte non prae se ferant ingratitude, falsitatem, calumniam, iniquitatem, non exspectabo 5  
 G 50<sup>v</sup> alium iudicem, sed ipse morte me condemnabo. Vis amplius? An id mihi forsan culpae attribueris, quod non parum et ad loquendum et ad scribendum tibi latine profui? Sed si hoc culpa est, non dubito similia  
 G 50<sup>v</sup> committere. Illud te memoria semper tenere velim hominem etiam te esse, cras moriturum et aeterni iudicium iudicis subiturum. Sed de 10  
 his latius alias, si res ipsa flagitaverit.

35, 1 Nunc partim et maxime amore veritatis et zelo integritatis evangelii Christi, partim propter communem, Caguleorum quoque ipsorum utilitatem — omnino enim Cages »si« particulae constructionem ignorare videtur — exponam non »si eum volo manere, donec venio«, sed »sic 15  
 eum volo manere, donec venio«, dicendum esse. Hanc enim inter summae dignitatis viros aut certo summae proximos contentionem fuisse nuper audivi. Quam quidem contentionem tantam exstitisse aiunt,  
 B 56<sup>v</sup> ut qui non »sic eum volo manere« dicendum putant, emendandum illum evangelii locum censeant, idque si aliquando poterunt, ex nunc 20  
 se ostendant facturos. Ea igitur ipsa repetam, quae mihi ad praestantem patrem Petrum de Monte, Brixiensem episcopum, conscripta sunt. Sic enim et locus ille divinarum scripturarum recte traductus comprobabitur, et multi Aristotelis quoque textus perversi ab istis novis traductoribus, etiam quia potestatem naturamque »si« particulae penitus 25  
 ignorant, luce ut dicitur clarius patebit.

2 Primum ergo illud mihi scribendum videtur: non sunt labefactanda fundamenta, non removendi fines, non quassandi termini, qui a patribus nostris iacti, constituti firmitaque sunt. Unus apex aut unus iota si  
 G 51 remotum ex evangelio fuerit, facile data licentia cetera diripientur. 30  
 Videmus, quam ingens invaserit homines luxus. Videmus, quanta rabies avaritiae animos omnium vexet. Videmus, quam infirma propter haec in Christum Dominum nostrum caritas sit. Minimum aliquid ex evangelio remotum parva primum, deinde paulatim serpens maxima secum trahet. Maxima mala, quae aut regnis aut rebus publicis aut eccle- 35  
 siae acciderunt, ex minimis orta, atque ideo primum sicut scintilla propter parvitatem neglecta in flammam inexstinguibiles prodierunt.  
 B 57 Quas ob res nihil, o patres, removendum, nihil addendum, nihil mutandum in evangelio Christi catholicis est.

3 Sed graecam scripturam, unde traducta haec sunt, sequendam 40  
 multi asserunt. Ego autem non sum nescius hunc locum ita lectum

2 ullius scripsi nullius G B | 3 muttire] mutire G B | 10 subiturum] subditurum B | 24 Aristotelis G Aristoteli B | quoque G que B | 30 diripientur G dirripientur B

latine semper, etiam ante Augustini tempora fuisse, quemadmodum hodie legitur. Testis est ipse Augustinus, qui cum super evangelium Iohannis scriberet, non »si eum volo manere«, sed »sic eum volo manere« saepius repetit. Hieronymus certe hunc etiam locum vidit, legit, 5 perpendit. Cumque esset diligentissimus, doctissimus et gratia spiritus sancti plenus, qua maxime usus est tum in transferendis denuo scripturis, tum in emendandis iam translatis, hunc locum ita reliquit, sicut invenit. Invenit autem, sicut nunc legitur. Si enim mutasset, inveniretur profecto emendatio eius. Non invenitur autem. Non mutavit ergo. 10 Stulti admodum sumus nimiumque arrogantes. Si autem graecas aut latinas litteras melius nos scire credimus, quam qui a temporibus G 51<sup>v</sup> Salvatoris usque ad aetatem Augustini fuerunt, si vellem prolixior esse, ostenderem ex historia romana non claros tantum viros, verum mulieres nobiles bene etiam merentes publice, alias soluta oratione, 15 alias carminibus in utraque lingua plurimum valuisse. Et certe illis temporibus non erat quisquam latine doctus, qui graece non esset doctior. Labi deinde res statim a temporibus Augustini paulisper coepit. Chri- B 57<sup>v</sup> stianismum vero vel ante Constantini tempora maiorem nobilioremque romanae urbis partem possedisse ipsa gentilis docet historia. Si ergo 20 illi utriusque linguae nobis longe doctiores differentiam esse inter »si volo« et »sic volo« scivissent, et graecae scripturae si volo congruere adhaerereque, sic volo autem alienum ab ea putassent, si volo certe, non sic volo traduxissent. Sed si volo ne in mentem quidem eorum venit. Sic volo autem una voce omnes dicebant.

25 Quare si Augustinus clamat et ceteri assentiuntur tacentes, quid nos quaerimus? Quid volumus? Quid contendimus? Graecamne linguam aut latinam melius quam illi tenere arbitramur? His rationibus ego mihi iam diu persuasi sequenda esse vestigia patrum, qui et ingenio et studio et doctrina non erant nobis inferiores. Sanctitate vero non 30 praestantiores illi nobis, sed illi praestantes. Nos autem vermes, et non homines terrena solum sapimus. Ac ideo ad sapientiam et gratiam G 52 quam illi habebant, vix respicere possumus.

Verum quoniam arrogantia nostra facit, ut nulla auctoritas, nec 5 etiam ubi sola plurimum potest, nobis satisfaciat, de »si« particula 35 dicam ad utilitatem communem latius et latinum usum et rationem ante oculos ponere conabor. De loco tamen ab auctoritate, quoniam multi rerum diversitate confusi abutuntur, pauca prius perstringenda B 58 sunt. Auctoritas primum in scripturis maximumque possidet locum, parvum in naturalibus, magnum, ne summum dicam, in grammaticis, 40 minorem multo in rhetoricis, nullum omnino in mathematicis, in quibus rationes etiam a communibus locis fluentes nullius momenti sunt.

7 emendandis scripsi] emendatis G B | 14 bene scripsi verum G B | 36 oculos scripsi oculis G B

Aequaliter enim stulti sunt, ut Aristoteli placet, qui ab oratore demonstrationes requirunt et qui communes a mathematicis audire locos patiuntur. Quare sicuti contemnendi sunt, qui propter ignorantiam ad auctoritates in mathematicis confugiunt, ita spernendi quasi principia negantes, qui auctoritatem in divinis scripturis parum sequuntur. 5 Hic ergo auctoritas patrum pro Romanae usu Ecclesiae aperte facit. Numquam enim »si volo« latine ille locus, semper »sic volo« lectus est.

6 Sed ratio quoque latini sermonis sic volo potius postulat, quam si volo. Id patebit, si paulo latius de »si«, ut diximus, particula disseremus. »Si« et affirmandi et dubitandi vim habet. Quarum primam 10 G 52<sup>v</sup> indicativo, alteram subiunctivo iuncta complectitur. Verum quoniam dubitatio quantum ab affirmando recedit, tantum ad negandum accedit, temporibus praesenti et praeterito maxime, quia certiora sunt remque iam definitione nobisque cognitam habent, ad determinata impellitur. Ita fit, ut, sicut cum indicativo affirmationem, sic cum 15 B 58<sup>v</sup> subiunctivo negationem proprie includat. In futuro autem propter ipsius temporis incertitudinem nec per indicativum in affirmationem omnino, nec per subiunctivum in negationem devenitur, sed quantum in altero imminuitur dubitatio, tantum in altero augetur. Cicero pro A. Caecina: »quod si aliter statuetis, videte, ne hoc vos statuatis, qui 20 vivus discesserit, ei vim non esse factam.« Et paulo post: »Hoc si ita statuetis, non modo non erit, cur depugnare quisquam posthac possessionis causa velit, sed ne illud quidem cur repugnare.« Et in prima Tusculanarum quaestionum: »Quid ergo, si <te> rogavero aliquid? Nonne respondebis?« In eadem dicam, si potuero, latine. In his enim 25 maior subiunctivo quam indicativo dubitationis vis inest. Certum enim includi omnino non potest propter futuri temporis incertitudinem. In aliis autem temporibus semper affirmatio inest conditioni, cum indicati iungitur modo, negatio cum subiungenti. Vel in quinto Aeneidos:

»Me si caelicolae voluissent ducere vitam, 30  
has mihi servassent sedes.«

In eodem expressius: »non si ipse meus nunc adforet Hector.«

Idem in bucolicis:

»Saepe malum hoc nobis si mens non laeva fuisset,  
de caelo tactas memini praedicere quercus.« 35

G 53 Item:

»Numeros memini, si verba tenerem.«

5 sequuntur G secuntur B | 14 definitione] diffinitione G B | 20 statuetis *sec. edit.* statueris B | 21 ei *sec. edit.* et B G | 22 statuetis] statueris B | 32 adforet *correxi* affert B G

20 Cic. Pro Caecina 46. | 21 Cic. Pro Caecina 47. | 24 Cic. Tusc. I 17. | 30 Verg. Aen. II 641 sq. | 32 Vergil. Aen. II 522. | 34 Vergil. Eclog. I 16 sq. | 37 Vergil. Eclog. IX 45.

Idem in primo Aeneidos:

»Si datur Italiam sociis et rege recepto  
tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus;  
sin absumpta salus, et te, pater optime Teucrum,  
5 portus habet Libyae nec spes iam restat Iuli,  
at freta Sicaniae saltem sedesque paratas,  
unde huc advecti, regemque petamus Acestem.«

B 59

Item in libello, qui hac sola de causa minoris auctoritatis est, quod pueris etiam certissimus est, sic legitur:

10 »Si deus est animus nobis, ut carmina dicunt,  
hic tibi praecipue pura sit mente colendus.«

Hic enim adeo expressam affirmandi vim conditio possidet, ut multi pro »quoniam« accipere audeant, non recte quidem illi, sed tamen tolerabilius quam ii, qui dubitandi potestatem huic particulae semper  
15 attribuunt. Verum quoniam sive affirmationem sive negationem includat, semper conditionis nota est. Semper enim consequentiam rerum ostendit. Idcirco si conditio in affirmationem tandem exit, indicativo et iungitur et absolvitur. Si sol est super terram, dies est. Si sol non est super terram, non est dies. Sin vero conditio in negationem exit, —  
20 de inclusa semper, non de expressa loquor — subiunctivo et incipientes et desinentes utimur. Si sol esset super terram, dies esset. Si sol non esset super terram, non esset dies; sed dies est. Id enim necessario assumitur in similibus praepositionibus, quoniam duae negationes sunt, altera expressa, altera inclusa.

G 53<sup>v</sup>

25 Sed Ciceronis quoque usu haec comprobemus. In epistula ad Curionem: »Quare, si iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego  
te crimine. Sin me id facere noles, te mihi aequum praebere debebis.« B 59<sup>v</sup>  
Idem in libro de caelo et mundo: »Atqui si pulcher est, is mundus et si probus eius artifex, profecto speciem aeternitatis imitari voluit.«  
30 Idem in prima Tusculanarum quaestionum: »Perfice, si potes, ut ne moriendum quidem miserum putem.« Et statim: »Quoniam si post mortem nihil est mali, ne mori quidem est malum.« Item in eadem quaestione: »Quia, si mori etiam mortuis miserum, etiam infinitum quoddam et sempiternum malum esset in vita.« Idem in epistola ad  
35 Curionem: »Qui cum suis laudibus tum vero te filio superasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut te ante videret, quam e vita discederet.«

14 tolerabilius G tollerabilius B | 28 est G es B | 31 si G B] *edit. om.* | 33 mori GB mors *edit.* | etiam GB esset *edit.* | 34 esset GB haberemus *edit.*

2 Vergil. Aen. I 553—558. | 26 Cic. Ep. ad famil. II 1, 1. | 28 Cic. Tim. 6. | 30 Cic. Tusc. I 15. | 31 Cic. Tusc. I 16. | 33 Cic. Tusc. I 15. | 34 Cic. Ep. ad famil. II 2.

Item in prima Tusculanarum: »Cuperem equidem utrumque, si posset. Sed est difficile confundere. Quare si, ut ista non disserantur, liberari metu mortis possumus, id agamus; sin id non potest nisi hac quaestione animorum explanata, nunc, si videtur, hoc, illud alias.« Et statim: »Nam si cor aut sanguis aut cerebrum est animus, certe, quoniam est 5 corpus, interibit cum corpore. Si anima est, fortasse dissipabitur. Si ignis, exstinguetur. Si est Aristoxeni harmonia, dissolvetur.« Item in epistola ad Lentulum: »Neque, ut ego arbitror, errarent ne adversarii G 54 quidem eius, si cum pares esse non possunt, pugnare desisterent.« B 60 Non errarent, inquit, si non pugnarent. Sed pugnant. Errant ergo. 10 Duplex enim expressa et occulta negatio inest. Illud vero in Rullum IV nonne apertissime ostendit et affirmationem indicativo includit et pro quoniam nullo modo capi posse. »Si ostendo, inquit, non modo <adimi> cuiquam glebam te Syllanis agris, sed etiam genus id agrorum certo capite legis impudentissime confirmari et sanciri, si doceo agris his, 15 qui <a> Sylla sunt dati, sic diligenter Rullum sua lege consulere, ut facile appareat eam legem non a nostrorum commodorum patrono, sed a Valgi genero esse conscriptam, num quid est causa, Quirites, quin illa criminatione, qua in me absentem usus est, non solum meam, sed etiam vestram diligentiam prudentiamque despexerit?« Quid opus 20 est pluribus? Natura rerum et quotidianus ostendit usus. Si ego te semper amavi, si semper observavi, si semper colui, cur me odisti? Cur persequeris? Si amavisses tu me umquam, si observasses, si coluisses, non te odissem neque persequerer. Si venio ad te, si adsum tibi, cur mihi irasceris? Si venires, si adesses, non irascerer. Verte in his, modo 25 et videbis rem universam statim everti. Si ego te semper amavissem, si observassem, si coluissem, cur me odisses? Nihil enim haec verba continent.

8 Cum ergo haec non magis dicendi usu quam rerum natura ita se B 60<sup>v</sup> habeant, quando nec negatio nec dubitatio re inest, indicandi utendum G 54<sup>v</sup> est modo. Negatio autem et dubitatio omnino contraria loco illi est. Utrumque enim et a Christo Domino ac vero Deo et ab ipsis rebus omnino alienissimum est. Nam si nullo potest modo ita dici »nolo eum manere, quid ad te?«, nec si vellem eum manere, quid ad te? dici potest. Non potest autem primum, non potest igitur secundum. Nam 35 si Petrus, cum mortem suam audiret, gratia consolationis, ut Cyrillus sentit, interrogat: »Domine, hic autem quid?« si etiam Dominus volens

4 explanata] explicata edit. | 6 corpore] reliquo corpore edit. | 13 <adimi> sec. edit. | 14 agris sec. edit. agetis B | 15 et G B atque edit. | 16 <a> sec. edit. | 17 nostrorum G B vestrorum edit. | 18 Valgi sec. edit. vulgi G B | genero sec. edit. genere G B

1 Cic. Tusc. I 23. | 5 Cic. Tusc. I 24. | 8 Cic. Ep. ad famil. I 8, 2. | 13 Cic. De leg. agr. III 3.



abducere removerequae ipsum ab huiusmodi vana vel cura vel solatio, quod patientibus similia solet insurgere, respondet, nullum profecto habet locum negatio. Nolle namque ipsum manere, velle ipsum mori significat. Quare nec illud: »quid ad te?« posset inferri. Similiter si quis  
5 non dixerit: si vellem, ubi negatio apertius inest, sed si velim, ubi dubitatio ac ambiguitas magis includitur, nullo posset pacto, »quid ad te?« dici. Relinquitur ergo, ut indicativa sit et affirmatio includatur.

Quod res quoque ipsa flagitat. Cum enim carpitur Petrus minime  
10 ad ipsum pertinentia quaeritans, quae autem res rei quadrat, tolle adiectam conditionis particulam, et videbis: volo eum manere, volo B 61 eum non mori, quid ad te? Quoniam ergo »si volo eum manere« affirmationem omnino includit, prudentissime, doctissime, optime »sic eum volo manere« patres sancti dixerunt. Hoc enim simplicitati, diluci-  
15 dationi certissimaque consuetudini evangelicorum verborum apprime congruit. Illud longius abesse ignorantia iam nostra ostendit. Ita enim G 55 pingues ingenio indoctique sumus, ut tantam inter »si volo manere« et »sic volo eum manere« faciamus differentiam, quanta maxima esse possit, hoc est quanta est inter affirmationem et negationem. Quae  
20 tamen nulla est, ut diximus, nisi expressionis atque dilucidationis.

Quod si quis graeci mihi sermonis auctoritatem incutiat, sciat haec, 10 quae de »si« particula dicta sunt, simili etiam graecae particulae ad unguem convenire. »Ean« illi subiunctivo iungunt, et affirmatio in praesenti semper includitur. Ceteris temporibus, quae derivatione diversa  
25 sunt potestate »ean«, — ad futuri enim significationem praeteritum in subiunctivo transit — futuri dubitatio natura inest. Sed multi verbis inhiantes nec rem ullam intelligunt et verba quoque recte tenere non possunt. Vertat, si quis vult, exempla quae dicam, in graecum sermonem, et videbit aperte. Comedenti feria sexta carnes dicitur: carnes B 61  
30 comedis hodie? Respondet: si comedo, quid ad te? aut etiam sic: ita comedo. Bibenti merum vinum dicitur: merum tu bibis vinum? Respondet: si bibo, quid ad te? aut etiam illo modo: sic bibo, quid ad te? Haec si graece dicuntur, idem omnino sensus et eadem res significabitur, quae latinis habetur verbis. Non enim institutione hominum,  
35 sed natura compositionis verborum hoc fit. Quare necesse est apud omnes idem esse, de quo latius disseremus, si aut nobis per hieremias nunc tractare propositum esset, aut breviter posset perstringi. Sed G 55  
hiscant, quaeso, qui se huic veritati opponunt. Certe graecis etiam verbis utrumque: si comedo, quid ad te? sic comedo, quid ad te?  
40 item: si bibo, quid ad te? sic bibo, quid ad te? affirmationem includit.

7 indicativa G indicatia B | 14 dilucidationi G dilucidati B | 20 dilucidationis] dilucidationis B | 21 incutiat G incuciat B | 22 quae G qua B | 25 „ean“ scripsi unum B G

Non differunt ergo ut affirmatio et negatio. Immo in re nihil differunt. In eo enim solummodo differunt, quod clarius, expressius, significantius respondetur: sic comedo, quid ad te? sic bibo, quid ad te? quam: si comedo, quid ad te? si bibo, quid ad te? Illud etiam pro meo iure dico triti sermonis latini consuetudinem non »si«, sed »sic« in similibus 5 flagitare.

11 Quas ob res patres nostri et latinorum et graecarum litterarum peritissimi et quotidiani dicendi usus non ignari et scientia rerum acutissimi et sanctitate praecipui et spiritus sancti gratia futurorum B 62 perspicacissimi providentes futuram ignorantiam et arrogantiam 10 nostram »sic volo eum manere«, non »si volo eum manere« traduxerunt. Illud enim numquam ab aliquo in ambiguum trahi posset. Hoc posse re ipsa modo videmus. Sed illud forsitan animos nonnullorum tenebat, quod paulo post infertur: »nec dixit ei Iesus, quod non moritur, sed sic eum volo manere«. Haec unum re sunt, quispiam dicet. Quomodo 15 igitur alterum non dixisse Iesus scribitur, alterum dixisse? Vehemens scilicet haec ratio sibi videtur, quae omnino absurda est. Primum quia forsitan non vis verborum, sed verba negantur. Deinde quia, quando dicitur: »sic eum volo manere, quid ad te?«, dicendi modo, non ut G 56 ostenderet omnino, quod velit eum manere, sed ut Petrum acriter 20 carperet, quod aliena nihilque sibi profutura quaereret, quodque non deberet ex simili aliorum malo solatium capere, tali usus est. Si autem dictum fuisset: nolo eum mori, quid ad te? Petrus quidem non solum carperetur, sed quasi repellere contempnique videretur, Ioannes autem necessario non mori significaretur. Tantum igitur interest, quod 25 hoc modo ad emendationem Petri omnia dicta videntur, illo autem non mori Ioannem quasi ex proposito fuisset pronunciatum.

12 Quas ob res summa mihi evangelio videtur fieri iniuria, si quis non modo dixerit, verum etiam cogitaverit emendandum esse hunc B 62<sup>v</sup> evangelii locum, et tanta, ut moriendum potius sit quam patiendum. 30 Nec dubito, si quis defendendo id evangelicum mortem oppetat, eum martyrii habiturum coronam. Quid enim est maius legem Moysi semel in non comedendis suum carnibus non servasse, an locum evangelii hunc commutare? Hoc profecto tanto maius atque periculosius est, quanto evangelium legi Moysaicae praestat, quanto veritas figuram 35 excedit, quanto qui venturus erat, praesignificante ipsum umbra excellentior. Adde, quod esus carnium . . .; nolo plura dicere. Levior enim videri possem parumque catholicus, si rem legis Moysaicae multo maiorem, quam suillinis uti carnibus, uni evangelico apici conferrem.

13 Haec cum ita se habeant, quis nescit Machabaeorum historiam? 40 Illi ne porcinis essent carnem, mortem subierunt et martyrii coronam

suscepisse creduntur. Exstat Gregorii Nazianzeni oratio, viri inter G 56<sup>v</sup>  
 ecclesiae doctores adeo illustris, ut beatus Thomas nulla in re ipsum  
 errasse conscripserit. Ea in oratione ut martyres et praecipui martyrum  
 Machabaei laudantur. Si ergo illi, quoniam porcinas esse carnes ne  
 5 morte quidem cogi potuerunt, martyrii gloriam in caelis consecuti  
 sunt, quod ego minime ambigo, et tanti doctoris et ecclesiae communi  
 opinione confirmatus <quaero>: quomodo non erunt martyres, si qui  
 propter integritatem evangelii mortem oppeterent et mori potius quam  
 quicquam in evangelio mutari vellent? Aut quomodo catholicus ortho- B 63  
 10 doxusque dici vere poterit, qui nullo periculo imminente verba evangelii  
 commutanda esse praedicet? Patet enim, quia, si posset, qui dicit  
 haec, multo peiora faceret, quam praedicat.

Sed nimium fortasse longe a proposito evagati sumus, quamvis 14  
 nihil ego nimium arbitror, quod ad pietatem evangelicam pertineat.  
 15 De qua nonnihil egressi diximus, quoniam indocte, immo insane, »sic«  
 particulam subiunctivo indifferenter indicativoque Cagulei adiungunt.  
 Fuimusque longiores, ut horum modorum virtus omnibus possit paterè.  
 Nam et absque adiunctione aliqua verbo res ambigua subiungenti, certior  
 indicanti annectenda est, et cum adiunctione multo magis. Etsi ego  
 20 te amo, tu tamen habes me odio. Quamvis multa tu a me didicisti, nullas  
 tamen mihi gratias retulisti. Quamquam tu me persequeris, ego tamen  
 te diligo. Affirmantur haec omnia. Illa in negationem recidunt. Quam- G 57  
 quam, quamvis, etsi te amarem, tamen tu me odisses. Sed de his satis.

Nunc ad te, pater, et meam ac latinae linguae defensionem conversus 36, 1  
 25 dicam non recte pueros tuos mihi tunc fuisse abs te magno contemptu  
 mei antepositos, quando, cum enumeratis quibusdam a me locis »hii  
 loci omnes« intulissem masculino proferens genere, et aliqui, quasi  
 non latine dixissem, carperent, tu sicut latinae linguae magister prae- B 63  
 cipuus, ne audito quidem me pueris reclamantibus tuis, ad me con-  
 30 versus dixisti: o Georgi, Georgi, senex iam es tu, et ideo titubas; hi  
 vero adolescentes sunt, et ideo haec multo te melius tenent. Exponam  
 ad communem utilitatem et Caguleorum et tuam verbi huius potestatem.  
 Nec enim res ab hoc opusculo aliena est. Locus tam in singulari, quam  
 in plurali easdem certissimas habet potestates: primam propriam, alte-  
 35 ram ex translatione per similitudinem. Nam et hic et ille locus latine  
 dicitur. Et cum definitas conditiones locorum subintelligi volumus,  
 isti loci dicere debemus. Et quia ius argumentorum quasi in sedibus  
 latet, ideo fontes eorum tam graece quam latine transferentes locos,  
 ut Cicero ait, appellamus. Loca vero non dicuntur ab exquisitoribus,  
 40 nisi de illis, quae non ita definite capiuntur. Unde aliqua loca, non

1 Nazianzeni G Natanzeni B | 3 martyres, martyrum] martires, martirum G B |  
 8 oppeterunt] opeterunt G B | 9 orthodoxusque] orthodoxusque G B | 36 definitas]  
 diffinitas G B | 40 definite] diffinite G B

aliquos locos dixerim, et circa illa loca salutaris et haec loca potius, si conditiones eorum definite intelligi non curamus. Contra si qualitas locorum exstat, quemadmodum cavi, saxosi, asperi, plani G 57<sup>v</sup> celebres, deserti, sacri, profani, publici, privati et huiusmodi, loci potius quam loca dicendum est. Id pueri tui nescientes ceterique, 5 qui acumen ingenii habent eorum, loca latine semper, numquam locos B 64 pro significatione propria dici debere in plurali asserebant. Hinc tu magnam eis laudem sicuti doctrina omnium rerum praeditis arrogabas. Quibus ego, vide, quantum <ad> invidiam, addo etiam, tibi quantum ad litterarum doctrinaeque studia, quod et te et illos quoniam tunc dicere 10 coram non licuit, nunc quamvis multo post instruere docereque statui.

2 Quod autem loci et loca eam, quam dicimus, habent potestatem, citetur primum Vergilius, deinde Cicero. Vergilius in primo Aeneidos:

»Devenere locos, ubi nunc ingentia cernis  
moenia.«

15

Idem in secundo:

»iuvat ire et Dorica castra  
desertosque videre locos litusque relictum.  
Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles.«

Videsne, an nondum quidem? Quia non solum hic et hic dicturus 20 erat, sed oculis etiam conditiones singulorum subiecturus locos in masculino praemisit. At illud in tertio Aeneidos, quoniam nullas locorum conditiones subintelligi opus erat, in neutro protulit:

»dextrum fuge litus et undas.  
haec loca vi quondam et vasta convulsa ruina  
dissiluisse ferunt.«

25

Cicero ad Herennium de artificiosa memoria loquens, quia noti certi definiti loci capiuntur, ut angulus hic, angustus aut latus, fenestra G 58 haec, parva vel magna et circularis, mensa haec, longa et alta, vel brevis atque depressa ceteraque huiusmodi, centies idem nomen repetens 30 numquam loca, semper locos scripsit. Idem Cicero qualemcumque coniecturalem tractans statum praecepta nobis scribit, quoniam, quando a locis arguimus, numquam loca, semper locos dixit. Audi eum ad B 64<sup>v</sup> Herennium: »Locus quaeritur, celebris an desertus, semper aut tunc, cum id factum sit, fuerit in eo loco solitudo, sacer an profanus, publicus 35 an privatus, cuiusmodi loci attingant.« Id est, cuiusmodi conditiones

1 salutaris scripsi Salustius G B | 3 quemadmodum G quod B | 30 ceteraque] B cetera | huiusmodi G huius B | 33 locos scripsi locis B | 34 aut tunc G B an tum edit.

14 Vergil. Aen. I 365 sq. | 17 Vergil. Aen. II 27—29. | 24 Vergil. Aen. III 413—416. | 34 Cic. Ad Herenn. II 4, 7.

vicini quoque habeant loci. Nam si nisi latos aut angustos, saxosos, cavos, prominentes, gurgustiosos, celebres aut desertos esse noverimus ceteraque huiusmodi, nihil modo afferre ad causam poterimus. Quando igitur conditiones naturasque locorum una cum ipsis accipi  
5 volumus, locos proprie dicimus. At ubicumque locum, id est spatium, solum capimus, numquam loci, semper loca Cicero et Vergilius dicunt. Cicero de lege agraria II: »sunt loca publica urbis, sunt sacella.« Et paulo post: »qui agri, quae loca, quae aedificia.« In eodem: »demigra-  
turos in illa loca nostros homines propter agrorum bonitatem et omnium  
10 rerum copiam.« At isti quidem sic. Ceteri vero, qui non ita exacti fuerunt, indifferenter mihi locos et loca dixisse videntur.

Loca tamen pro translata significatione, id est pro sedibus argu-  
mentorum, nemo dicet latine, neque id absque ratione. Nam quoniam non loca, sed loci dicimus, quando conditiones locorum intelli-  
15 volumus, — nullum autem argumentum e loco recte capitur, nisi natura G 58<sup>v</sup> loci penitus cognoscatur — merito non loca, sed locos sedes argumen-  
torum vocamus. Ad haec omnia translata significatio propriam semper B 65  
supponit. Nec enim ridere prae dicere unquam transferendo poterimus, nisi risum hominis esse primo cognoverimus. Sedes nobis argu-  
20 mentorum loci appellantur, quoniam, ut ipse Cicero in topicis ait, quasi res locatae in sedibus suis sicut in locis latent. Loci ergo suam, id est propriam primum retinent significationem, quam diximus. Deinde per similitudinem ad argumentorum sedes transferuntur. Quare patet, quando certi definitique loci ostenduntur, locos non loca esse dicendum.  
25 Statim enim cum particulariter loci cernuntur proprieque perspiciuntur, conditiones quoque suas oculis subiici necesse est. Sallustius in Iugurthino: »Id oppidum a Sidoniis conditum est, quos accepimus profugos ob discordias civiles navibus in eosdem locos venisse.« Nam quoniam oppidum antea nominaverat, loca latine dicere minime po-  
30 terat.

Non dixi haec, pater optime, quod numquam optassem pueris  
me tuis abs te praeferrere, sed ut ostendam multis iam abs te annis vitam, honorem, fortunas meas insidiis peti, fortunas quidem et honorem apertius, quippe qui palam saepius coramque dixisti, vitam autem  
35 occultius, ita tamen, ut et verbis et litteris tuis deprehendi id quoque possit. Orarem obtestarerque te, ut aliquando desisteres, si crederem quicquam me profecturum. Ipse tu testis es ad hos usque dies omnia B 65<sup>v</sup>  
me ad honorem tuum, quantum fieri potuit, cogitasse, dixisse, fecisse. G 59

26 Sallustius G Salustius B | Iugurthino G Iugurtino B

7 Cic. De lege agr. II 36. | 8 Cic. De lege agr. II 38. | 8 Cic. De lege agr. II 42. | 20 cf. Cic. Top. 7 sq. | 27 Sall. De bello Iug. 78, 1.